



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

Cap. I Orationem vitæ spiritali esse necessariam, & ideo cum cura &
studio instituendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)



PARS PRIMA

DE IIS, QUÆ
MEDITATIONEM
ANTECEDUNT.

TRACTATUS PRIMVS

De natura & effectis Medi-
tationis.

*Orationem vitæ spirituali esse necessariam,
ac ideo cum cura & studio in-
stituendam.*

CAPVT I.



X multis & variis omnium san-
ctorum Patrum sententiis, qui-
bus orationis necessitatem spi-
ritalis vitæ cultoribus cōmen-
dant, vnam rātum vsurpabo B. CHRYSOST.
qui in libro *De orando Deum*, affirmat Ora-
tionem sanctam haud secus animam im-
pertire vitæ spirituali, quam anima ipsa na-
turalem vitā subministrat corpori. ac pro-
inde orandi studium homini Christiano

Λ non

2 INSTRVCT. DE MODO

non minus esse necessarium ad traducendam vitam spiritualement, quam necessaria est corpori anima ad agendam vitam naturalem. Vnde porro consequens est, sicut anima, quamdiu corpori coniuncta est, eidem vitam, sensum, motumque exhibet naturalem, secus verò si ab eo diuisa sit: sic orationem, quamdiu ea ab homine Christiano usurpatur, eidem omnem vitam, sensum, motumque præbere spiritualement, cõtra verò nullum, si non usurpetur. Sic ergo liquet orandi necessitas ad vitam piam & sanctam traducendam.

Vt verò hoc animæ exemplo, quâ in corpore, vel extra corpus est, patefacta est Orationis necessitas: sic corporis exemplo luculenter ostendi potest, eandem orationem non incuriosè & languide, sed cum cura & studio instituendam. Poscebat quidem sermonis consequentia, vt in animæ potius, quam corporis similitudine hæreamus, tamen quia Orandi virtus in eo habitum genere censetur, qui incrementum, decrementumue suscipere queunt, cuiusmodi non potest anima natura sua indiuisibilis, corporis potius, quod augeri minuique potest, exemplo vtemur. Accedit quod corporis actiones in oculorum sensum

MEDITANDI PARS I. 3

sum incurrunt, ac ideo etiam plebæis & imperitis eius similitudine persuaderi poterit, exercitium Meditandi non esse incuriose instituendum.

Afferimus ergo: quemadmodum, si paruulus puer perperam à parentibus educetur, hoc est, vel nimis tenui, vel parum salutaris cibo alatur, fit, vt ventientibus annis corpori nec valetudo, nec robur accedat, quod par sit sustinendis grandium oneribus: ita si quis Christianæ pietatis fundamenta iacturus incuriosus sit in pascenda anima spiritali cibo sanctæ meditationis. Ea siquidem naturalis habituum proprietas est, vt ex actionibus suis gignantur & producantur, convenienter Aristoteleo dicto. *Ex iisdem nutrimur, quibus constat.* Cum ergo orandi habitus in Incipientibus ordinariè sit perexiguus & tenellus, deberet frequentibus ipsius Orationis actibus, velut natiuo suo alimento, auferescere. At si actus illi vel æquò rariores sint, aut vitio obnoxii, vel quia ad eos rectè exercendos frigidè nos comparamus, vel quia re ipsa nulla cura vel studio eos exercemus, vel certe, quia morbos obrepentes oppositis antidotis sanare negligimus, accidit nobis quod puero malè ab ineunte ætate educa-

A 2 to, hoc

4 INSTRVCT. DE MODO

to, hoc est, vt animam (sic appellare liceat) ab oratione semper pusillam, & parum robustam referamus. Et, sicut, si anima quoque nostra, ex earum formarum numero, quod non est, existeret, quæ augeri minuiue possunt, in dicto puerulo ad magnam pusillitatem vna cum corpusculo redigeretur, exiguamque spirandi, sentiendi, mouendique vim suppeditaret; ita prorsus eueniret nostro, de quo agimus, incurioso oratori, vt nempe languida existente eius anima, frigida quoque consequantur in meditando exercitia, sensus deuotionis aliarumque virtutum pertenuis, exile quoque veræ sanctitatis, perfectionisque assequendæ desiderium. Hæc eo dixi, vt incipiens non se facile dedat ignauia, & sanctum hoc exercitium turbet. Addamus duo verba pro longius prouectis.

Nam & his per incuriam procliuis potest esse lapsus, vt pusilli fiant viribusque deficient, & orandi habitum cum magno vitæ spiritualis detrimento imminuant. Quod quidem naturaliter non euenit corporibus, nemini enim quicquam de corporis longitudine, quam semel assecutus est, nisi fortè inflexione, quæ fit in decrepitis, detrahi solet. Et si alia quaedam affectio nostro

stro
fit; v
bust
vel
re p
re p
firā
tati
sua
spir
cer

Q
fac
nor
bor
ne
ti,
gra
mo
in
ag

stro

MEDITANDI PARS I.

stro instituto congruens eis euenire possit; vt nempe sicut homo adultus sano & robusto corpore præditus, vel insalubri victu, vel nimis laboribus valerudinem offendere potest, quo minus consuetis operam dare possit functionibus: sic homo spiritualis, si adem post annos multos pristino meditationum pabulo desinat animam pascere, sua incuria faciet, vt nullos quoque fructus spirituales, de quibus infra agemus, producere queat.

*De causis incuriæ spiritualis, eiusq;
remediis.*

CAPVT II.

QVAMVIS autem tanta sit, vt diximus, orationis mentalis, vel meditationum sacrarum necessitas iuxta ac vtilitas, tamen non desunt, qui vel crebriore tædio, vel laboris, quem in præparatione, vel attentione obtinenda experti sunt, metu deterri- ti, omnino illas abiiciant. Quorum in gratiam antidota quædam sanando huic morbo idonea subiungam, ne tu quoque in hoc incuriæ barathrum te præcipitem agas.

A 3 Pæci-